

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 4723

**Auteur(s) :** Innocent III [pape]

**Bénéficiaire(s) :** Pont-de-l'Arche, Notre-Dame de Bonport (abbaye)

**Genre d'acte :** bulle

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1208, 27 octobre

**Lieu d'émission :** Ferentino

**Action juridique :** autre

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Innocent III enjoint à l'archevêque de Rouen, aux évêques et autres prélats de la province de Rouen de frapper d'excommunication les violateurs des privilèges des religieux de Bonport, s'ils sont laïques, et de suspension de leurs offices et bénéfices, s'ils sont ecclésiastiques.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Andrieux Jules, *Cartulaire de l'abbaye royale de Notre-Dame de Bon-Port de l'ordre de Cîteaux au diocèse d'Évreux*, Évreux, Hérissé, 1862, n° XLII, p. 43-44.

Texte établi d'après a

Innocentius, episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Rothomagensi archiepiscopo et suffraganeis ejus, dilectis filiis abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis et aliis ecclesiarum prelati, in Rothomagensi provincia constituti, salutem et apostolicam benedictionem.

Non absque dolore cordis et plurima turbacione didicimus, quod ita in plerisque partibus ecclesiastica censura dissolvitur et canonicè sentencie severitas enervatur, ut viri religiosi, et hii maxime qui per sedis apostolicè privilegia majori donati sunt libertate, passim a malefactoribus suis injurias sustineant et rapinas, dum vix invenitur qui congrua illis protectione subveniat, et pro fovenda pauperum innocencia se murum defensionis opponat. Specialiter autem, dilecti filii, abbas et conventus Boni Portus, Cisterciensis ordinis, tam de frequentibus injuriis, quam de ipso cotidiano defectu justicie conquerentes, universitatem vestram litteris petierunt apostolicis excitari, ut ita videlicet eis in tribulationibus suis contra malefactores eorum prompta debeatis magnanimitate consurgere, quod ab angustiis quas sustinent et pressuris nostro possint presidio respirare. Ideoque universitati vestre per apostolica scripta mandamus atque percipimus, quatinus illos qui possessiones vel res seu domos predictorum fratrum vel hominum suorum irreverenter invaserint, aut ea injuste detinuerint, que predictis fratribus ex testamento decedencium relinquuntur, seu in ipsos fratres, contra apostolicè sedis indulta, sentenciam excommunicationis aut interdicti presumpserint promulgare, vel decimas laborum, seu nutrimentorum ipsorum, spretis apostolicè sedis privilegiis, extorquere, monitione premissa, si laici fuerint, publice, candelis accensis, excommunicationis sentenciam precellatis: si vero clerici, vel canonici regulares, seu monachi fuerint, eos, appellatione remota, ab officio et beneficio suspendatis, neutram relaxaturi sentenciam donec predictis fratribus plenarie satisfaciant; et, tam laici quam clerici seculares qui, pro violenta manuum injectione, anathematis vinculo fuerint innodati, cum diocesani episcopi litteris ad sedem apostolicam venientes ab eodem vinculo mereantur absolvi. De monachis vero et canonicis regularibus id servetur, ut si ejusdem claustris fratres manus in se injecerint violentas, per abbatem

proprium. Si vero unius claustrum frater in fratrem alterius claustrum hujusmodi presumpserit violenciam exercere, per injuriam passi et inferentis abbates absolutionis beneficium assequantur, eciam si eorum aliqui priusquam habitum reciperent regularem, tale aliquid commiserunt, propter quod ipso actu excommunicationis sentenciam incurrissent, nisi excessus ipsorum esset difficilis et enormis, utpote si esset ad mutilationem membri, vel sanguinis effusionem processum, aut violenta manus in episcopum vel abbatem injecta, cum excessus tales et similes sine scandalo nequeant preteriri. Si vero in clericos seculares manus injecerint, pro vitando scandalo, mittantur ad sedem apostolicam absolvendi. Villas autem in quibus bona predictorum fratrum vel hominum suorum per violenciam detenta fuerint, quandiu ibi sunt, interdicti sentencie supponatis.

Datum Ferentini, VI kalendas novembris, pontificatus nostri anno undecimo.